

rentia, quae non nisi ab iis potest percipi, qui citra ingurgitationem hunc cibum sumpserint, quique exquisito gustatu fuerint: ferinum enim quid resipit, quod tamen etiam non nisi paucissimum esse potest: nam Archestratus, qui in nullis non terrarum Orbis angulis gulae cupedias diligentissime perquisivit, id observasse in eo non videtur, quandoquidem Acipenser plane eundem esse credebat, ut Athenaeus tradit, qui illius sententiam refellit. Athenaei verba non solum Acipenseris a Galeo Rhodio discrimen indicant, sed verum Galeum Rhodium hic depingi comprobant: Archestratus, inquit, qui Sardanapali vitam vixit, de Galeo Rhodio scribens, eundem esse opinatur cum eo, qui apud Romanos cum tibiis et coronis in coenis circumferebatur, coronatis etiam iis, qui gestarent, vocantque Acipenserem. At hic quidem Acipenser parvus est, et porrectiore rostro, et figura triangulari magis quam ille. Et paulo post, Archestratus de Rhodiensi Galeo loquens, amicis patrio more consulens, ait: Galeum in Rhodio quem Vulpem vocant, si tibi vendere noluerint, vel mortis periculo rape. Nominant illum Syracusani *κύρα πλενα*, id est, canem pinguem. Haec ille. Quod si Galeum Rhodium cum Sturione seu Acipensere contuleris, nullum plane comperies, (inquit Rondeletius)

qui ei similior sit eo, quem proponimus: his exceptis quod Sturio est longiore rostro et corporis figura magis triangulari. Nam alioqui Sturionem totius corporis figura, tergi ossibus acutis, et clypeorum modo efformatis, aliis item in lateribus dispositis, pinnis, cauda, ore in supina parte sito, omnino refert. Is quemadmodum Sturiones, relicto mari, amnes subit. Reperitur enim in Pado, et Rhodano, et pro Sturione venditur; nec ab eo distinguitur, nisi ab exercitatissimis et exquisiti gustatus hominibus. Hanc differentiam docuit ipsum Guilielmus Pelicerius Monspeliensis Episcopus, vir singulari doctrina praeditus; tum ex capite crassiore, et rostro breviori, obtusioreque; tum ex gustu Galeum Rhodium sive Vulpem deprehendi. Ferinum quid resipit, quod de Sturione dici non potest, carneque est durior: a quo sapore Galei et Vulpis nomen habet, Galei enim et Vulpes ex Galeorum genere ferini sunt saporis et ingrati. Si tamen in dulci aqua diu nataverit, in cibis haud aspernandus est. A nonnullis eodem Rondeletio teste *Cops* vocatur, eoque nomine designatum atque optime figura expressum ad ipsum Ferraria misit doctissimus medicus Antonius Musa Brasavolus. Alii nominis affinitate decepti *Copso* appellant. Est enim id nomen alterius piscis.

CAPVT IX.

De Cataphracto.

TAB. XXIV.
2.
Schonveld.
Ichtyol.
p. 31.

Pisci huius Schonveldius nomen imposuit, sicque eum descripsit. Est palmorum duorum longitudinis ad summum, Capitis fere triangularis, depressi, angulosi, ac lati pollices vel digitos duos, cuius duo latera tuberculis plerisque horrent in ambitu, anteriora quae os spectant cirrhus multos tenuissimos alunt, posteriora aculeis retrorsum spectantibus minacia sunt. *Rostrum* habet refissum, quatuor apiculis munitum, quorum duo anteriores instar Lunae cornutae vel semicirculi se rotun-

dant, reliqui post hos suis aculeis retro conversis conspicui sunt. Os in supina parte semicirculare habet, parvum, ad incisuram ejus utrinque binis, sub mento pluribus tenuibus cirrhis barbatum.

Truncus proxime caput depressior, octagonus est, prope caudam sexagonus, prona parte fuscus, nigris lituris intersparsis, circa ventrem plenum, in cuiusque medio *podex* est, albicat. Totus *squamis* ossibus contextus est, in quarum medio tumor